



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Nemo cum Christo mortuus, qui cum ipso non resurgat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

**HÆC** est præterea ad sacram Communionem & Paschalem solemnitatem aptissima dispositio, sicut enim Pascha talis transitus dicitur, ut non fiat remeatio ad locum unde transitur, sic plane anima si sic transit à vitiis & ab affectionibus inordinatis ut illò non redeat, verè sacrum Pascha peregrisse dicenda est, & non aliter. Sic sanctus Augustinus: *Agimus saluberrimum transitum, cum à diabolo transimus ad Christum, & ab isto instabili seculo ad eius fundatissimum regnum. Ideo quippe ad Deum permanentem transimus ne cum mundo transeunte transeamus.* Sic & S. Ambrosius: *Pascha transitus est à passionibus ad exercitia virtutis.* Itemque alibi: *Pascha Domini quotannis celebratur, hoc est, animarum transitus à vitiis ad virtutem, à passionibus carnis ad gratiã sobrietatis mentis, à malitia nequitiaque fermento ad veritatem & sinceritatem regenerationis.* Sanctus denique Bernardus: *In hac tam præcipua solemnitate, quid commendetur nobis, sedula cogitatione pensamus. Nempe resurrectio, transitus & transmigratio. Christus enim, fratres, non recedit hodie sed resurrexit non rediit sed transit, transmigravit non remeavit. Donique & ipsum,*

*quod celebramus Pascha, transitus non reditus interpretatur: & Galilea, ubi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat sed transmigrationem. Si post consummationem crucis, in nostram hanc mortalitatem, & vita præsentis ærumnas Christus Dominus revixisset, ego eum fratres non transisse dicerem sed rediisse: non transmigrasse in sublimius aliquid, sed ad statum remeasse priorem. Nunc autem quia transit in novitatem vita, nos quoque, invitatur ad transitum, vocat in Galilaam. Quæ plura ibi sequuntur, in sequentem differuntur diem.*

Tu verò interim ut ab una libertate transeas in aliam, sicque constans permanes ut nunquam relinças & immuteris, dic cum sancto Ignatio Fundatore Societatis Iesu: *Suscipe In Exerc. Domine universam meam libertatem: Accipe Spirit. 4. memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. hebdom. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tua prorsus voluntati traño gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & arves sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.*

Vide in 4. parte, Sabbato hebdomadæ 15. & rota hebdomadæ 24.

# DISSANCTVS PASCHAE

S E U

## DOMINICA RESURRECTIONIS

E T

### DIES QUAM FECIT DOMINVS.

*Surrexit, non est hic. Marci 16.*

*Surrexit Dominus verè. Luc. 24.*

*Fidelis sermo: Nam si mortui sumus, & convivemus. 2. Tim. 2.*

#### VERITAS PRACTICA.

Nemo cum Christo mortuus, qui cum ipso non resurgat:

Nemo cum Christo resurgit, nisi qui cum ipso sit mortuus.

**RATIO** utriusque partis est, quod cum Christo resurgere, sit hoc unum & idem, ac novam cum illo vitam agere.

Sed nemo est cum Christo mortuus, qui hanc novam cum illo non agat vitam: & nemo hanc

*novam agit vitam, nisi qui cum ipso sit mortuus. Ergo & utrumque verum quod proponitur, & de utroque dici potest. Fidelis sermo, nam si mortui sumus, & convivemus. Quod certè est consolationis non modica: Si vero etiam non sumus mortui, nec convivemus, nec resurgemus. Quod profecto parvendum est, cum præcipuè tam pauci sunt qui verè sunt mortui. Quid sequitur, nisi quod etiam tam pauci sunt qui verè cum Christo resurgant? Quid porro magis cavendum; & quid magis opportunum quod consideretur, quam ex quibus sumus?*

H c 2

I. PUN.